



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Lingva Avrea Christianorvm**

**Ruben, Leonhard**

**Padibornae, 1606**

Capvt 42. Primò tacendum in rebus aduersis, quod probatur exemplo  
filiorum Israël, Daudis, & Annatis Pambonis.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56433](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56433)

*cax est ad loquendum. Et vers. 6. Est tacens non habens sensum loquela: & est tacens sciens tempus aptum. Et v. 7. Homo sapiens tacebit usq; ad tempus: lasciuus autem & imprudens non seruabunt tempus. Quàm verò pulchrum sit, verba suo tempore promere, docet Salomon, cùm verba bona malis aut pomis aureis comparat, & tempus lectis argenteis in quibus reponuntur, dicens. Prou. 25. II. Mala aurea in lectis argenteis, qui loquitur verbum in tempore suo. Ex his omnibus facilè colligimus quàm sit necessarium intelligere, quando nobis tacendum sit. Quòd nunc examinabimus.*

## QUANDO TACENDVM

AUT SILENDVM.

### CAPVT XLII.

*Primò tacendum in rebus aduersis, quòd probatur exemplo filiorum Israël, Dauidis, & Abbatis Pambonis.*

**P**rimò, in rebus aduersis tacendum esse, & cum patientia  
In rebus aduersis.  
 silencio

Filij  
Iraël.

silentium, potest colligi ex ijs quæ de paupere diximus superiùs cap. 37. num. 1. Hic sufficiat, quatuor exempla in mediù adducere, quorum primum est filiorum Israël. Hi enim in summa rerum aduersitate constituti ad silentium vt ad sacram ancoram confugere debebant, cùm antrorsum, viderunt mare rubrum sibi transeundum esse, vbi nullum subsidium nauium conspiciebant: retrorsum verò Pharaonem & Aegyptiorum exercitum, cum curribus & equis eos ferociter insequentes. Tunc demum Moyses ad illos Exodi 44. 14. *Dominus pugnabit pro vobis, & vos tacebitis.*

David

Secundò, id videre est in rege Dauide, quid, is licet se verbis & armis vindicare potuisset, egerit, cùm peccator aduersus eum confisteret, id scilicet, quòd ipse de se testatur. Psalm. 38. 2. *Dixi: custo-*

diam

diam vias meas, ut non delinquam in lingua mea. Posui ori meo custodiam, cum consisteret peccator aduersum me, obmutui, & humiliatus sum, & silui à bonis: & dolor meus renouatus est. Quid ergò? vers. 4. Concaluit cor meum intra me, & in meditatione mea non exardescet ignis. Illi siquidem qui ad illud perfectionis genus deuenerunt, ad meditandum & ignem diuini amoris concipiendum sunt aptissimi. Eiusdem Dauidis lingua adhæsit faucibus eius, cum illum Psalm. 21. 16. multi petulantes vituli circumdederunt. Ex dicto quoq; Psalmo 38. D. Benedictus cap. 6. regulæ suos discipulos docuit esse silentij & taciturnitatis obseruantissimos.

Tertiò, hoc loco Scripturæ sacræ maximè se exercuit Pambo Abbas, cum etiam ipse discere prius quàm loqui proposuisset, ad illum qui trigesimū octauum Psal-

Pambo  
Abbas

mum sibi legere cœperat, dixit. *Custodiam vias meas, ut non delinquam in lingua mea*: Sat est, inquit, reliqua audiam, cum istud opere implevero. Multo deinde tempore post reuersus, cum interrogaretur, cur tantum ad magistrum redire distulisset? nondum se illud quod didicerat perfecisse dixit, & Apostolicum esse præceptum: estote factores verbi, & non auditores tantum, & ut est Hist. tripar. libr. 8. capit. 1. Idem Theophilo Episcopo se aliquando adeunti, & aliquo sermone ab ipso spiritualiter refici petenti, respondit: si tacurnitate sua non reficiebatur, nec sermonibus eum refici posse. Hinc quidem die vitæ suæ iam supremo audacter affirmavit, ex quo eremum incolere cepisset nullum se vnquam protulisse verbû quod prolatû nollet. Perfecit ergò quod initio promiserat: Dixi, custodiam

vias

vias meas vt nō delinquam in lingua mea. Quā igitur lætus, quam securus hinc discedebat, quē nullius propè culpæ conscium taciturnitas ipsa fecerat.

## CAPVT XLIII.

*Tacendum cūm angeli aut sancti nobiscum loquuntur, & cūm est sermo de iudicijs & permissionibus diuinis.*

Secundò, tacendum est cūm angeli aut sancti nobiscum loquuntur, quòd maximè seruandū erit cūm eorum facta leguntur aut audiuntur. Hinc Danielis 10. 15. de angelo sibi mirabili specie. vers. 5. appa-  
 rente, inquit. *Cumq; loqueretur mihi huiusmodi verbis, deiectum meum in terram & tacui.*

*Cūm angeli aut sancti nobiscum loquuntur.*

Tertiò, cūm est sermo de iudicijs & permissionibus diuinis, ne eū in illis arguamus. Quòd quia fecit Iob sic de se, c. 39. 37. loquitur. *Qui leuiter locutus sum, respondere quid possum? manus meā ponam super os meū, Ver. 35. Unū locutus sum, quòd*